diu, ut viderentur exanimes facti. Super omnes autem mu- 254
lieres peregrinae sociae nostrae et sorores quasi parturientes
clamabant, ullulabant et flebant. Aliqui vero peregrini prae
nimia devotione nescientes se regere, inmorierati erant, et
prae nimia diligentia, qualiter se Deo possent exhibere placa- 252
biles, quibusdam gestibus insolitis et puerilibus movebantur.
Delectabile valde fuit videre seriosissimos et varios peregrino- 258
rum mores in devotione in locis sanctis, quae loca mirabilem
efficaciam habent ad movendum hominem ad fletum, gemitum
et suspiria, qui alias nullis sermonibus, nec admonitionibus, nec 248
scripturis, nec picturis, nec figuris, nec exemplis, nec promis-
sis, nec minis, nec prosperitate, nec adversitate moveri potest.
Sed tamen nec hoc generaliter omnibus datur visitantibus loca 263
sancta, sed ut scilicet singulari devotione et pietate afficiantur.
Vidi enim quosdam, utinam non vidissem, qui directe 243
contrariis perversis affectibus movebantur, commoti propter pios
affectus bonorum devotorum. Vidi namque in omnibus praetactis
devotionibus peregrinorum, quod quidam stolidi et aridi pereg- 303
rini, imo bestiales animales, spiritum Dei non habentes, stabant
et caeterorum devotiones, fletus, prostrationes, pectorum punc- 203
tiones et caetera talia subsannabant et deridebant. Et quod
dammnabilius est, isti rudes et coeci omni devotione et affec- 353
tione vacui, spurcitiis repleti tales devotos judicabant fatuos,
hypocritas, ostentatores, fictos et non sanae mentis esse, eos- 153
que postea despectui habebant, et cum eis dedignabantur
conversari, detrahentes eis, fatuos, hypocritas et Beghardos
nominantes. O quam inutilis et maledicta talium peregrinatio,
qui in tam sancto loco sanctos mores derident et pervertunt. Ende
Pejores tales sunt Sarracenis et Judaeis, qui nullum Christia- Anfang
num devote se gerentem derident. | Nam quando venimus in
atrium hoc sanctum, multi juvenes Sarracenorum accurrerunt,
ut deriderent, sed tantum serium peregrinorum videntes reces-
serunt, remanentes autem una nobiscum fleverunt. In hoc
atrio indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Porro
orationibus finitis surreximus de terra, et ad ostium ecclesiae
accessimus, ibique per foramina, per quae cibus ministratur
sancti sepulchri custodibus intus conclusis, respeximus, et
sanctissimi dominici sepulchri capellam in medio ecclesiae stantem

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;